UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Sanderi Angli Doct. Theol. De Origine Ac Progressv Schismatis Anglicani Libri Tres ...

Sander, Nicholas

Coloniæ Agrippinæ, 1610

Illvstri Et Generoso Domino D.no Egoni Comiti A Fvrstenberg, Heiligenberg & Vverdenberg, Lantgravio in Bare, Domino in Havsen in Kyntziger Däl, Metropolitan Coloniensis, & Cathedralis Argenteratensis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-64680

Visual Library

ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO D.[no] EGONI COMITI A FVRSTENBERG,

HEILIGENBERG & VVERDENBERG, LANTGRAVIO IN BARE, DOMINO in HAVSEN in KYNTZIGER DÄL, Metropolitanæ Colonienſis, & Cathedralis Argentoratenſis Eccleſiarum Canonico, nec non D. Gereonis Coloniæ Præpoſito digniſſimo.

TRium horum, ILLVSTRIS & GENEROSE DOMINE, Nicolai Sanderi viri & virtute, & doctrina Clariſsimi de Schiſmatis Anglicani initio & progreſſu librorum, ingens vtilitas, magnus fructus: Etenim vt crudeliſsimum dominatum atque immanem hæreticorum tyrannidem; ita & Catholicorum maximam pietatem, ſummam religionem, inuictumque animi robur velut in ſpeculo lucidiſsimo contuendum exhibent. Vnde & illorum technæ aperiuntur, deteguntur fraudes, ſæuioresque vel ipſo Buſiride

conſpiciuntur, qui quouis ſe agno mitiores prædicant; Horum verò animi exulceratiſſimo hoc ſeculo, dum vel à Gehenna vſq; contra Petri nauiculam vim cunctam Lemures ſubmittunt, erigi, confirmari & excitari poſſunt.

Quare cùm omnia pænè exemplaria diſtracta eſſent, vt iteratò in lucem eos vnà cũ APPENDICE R. P. RIBADENEIRAE quæ quaſi Continuatio horum, darem, viri quidam prudentiâ & eruditione prȩſtantiſsimi impulerunt. Dum verò ſub cuius nominis patrocinio cogitarem, TVA ILLVSTRIS Gratia occurrit, in qua virtutes, quã multæ tàm magnæ, & quàm raræ tàm ferè cunctis bonis caræ emicant: in qua ſplendori Familiæ plurimum lucis & ornamenti addit hæreſeon extirpandarum, & Catholicæ religionis propagandæ ſtudium ardentiſſimum. Quæ effecerunt vt minimè dubitarim, quin horum patrocinium benignè ſuſceptura eſſet.

A TVA

A TV A igitur ILLVSTRI GRATIA qua par eſt animi ſubmiſſione peto, vt hoc literariũ munus exiguum illud quidem, ſed magnum tamẽ meæ in Eam obſeruantiæ teſtimonium aſpernari ne velit, ſed quo offertur animo ſuſcipiat, foueat, complectatur. Quod ſi aſſecutus ero, huius beneficij ſemper meminero. ILLVST. T. GRATIA optimè valeat & Socero meo, ac mihi deinceps, vt facit fauere pergat. Coloniæ vbiorum pridiè Calen. Septemb. M.D.CX.

ILLVST. V. G.

Obſeruantiſſimus.

Petrus Henningus
Bibliopola